



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Eiusdem capitulare de causis regni Italiae, datum, ut videtur, anno  
DCCXCIII. post obitum Hildegardis Reginae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

atque defensor in omnibus angustiis nostris exsaltat. Et à vino & carne ordinaverunt sacerdotes nostri, qui propter infirmitatem aut senectudinem aut juvenitudinem abstinerat, ut abstinuerent. & qui redimere volueret quod vinum licentiam habuisse bibendi ipsis tribus diebus, ditiones & potentiores homines in unaquaque die solidum unum dedissent, minùs potentes juxta possibiliterem iporum, & qui amplius dare non poterant, & vinum bibere volebat, saltem vel unum denarium donasset, eleemosynam verò unusquisque secundum propriam arque bonam voluntatem vel juxta possibiliterem fecisset. Et sacerdos unusquisque Misericordiam specialem fecisset, nisi infirmitas impediret, & Cle-

rici qui psalmos sciebant, unusquisque quinquaginta cantasset, & interim quod ipsas litanias faciebant, discalceati ambularent. Sic confidaverunt sacerdotes nostri, & nos omnes ita aptificavimus, & Domino adjuvante complevimus. Vnde volumus ut tu cum ill. & ill. vel ceteris fidelibus nostris considerare debeas quater ipsa litanie ibidem facta fiant. Tu autem juxta quod tua infirmitas permittit in tuo committimus arbitrio. Et mirum nobis fuit quia vester missus nec epistola, postquam de Ragenisburgo, ad nos non venit. Vnde volumus ut sapienter nobis de tua sanitate vel de aliud quod placuerit significare debeas. iterumque salutamus te multum in Domino.

## CAPITVLARE DE CAVSIS REGNI ITALIÆ.

Datum, ut videtur, anno Christi DCCXCIII. post  
obitum Hildegardis Reginæ.

*Incipit Capitulare qualiter precepit Dominus Rex de quibusdam causis.*

### INCIPIVNT CAPITVL A.

1. *E xenodochiis.*
2. *De Ecclesiis baptis malibus.*
3. *De Advocatis sacerdotum.*
4. *De diversis generationibus hominum qui in Italia communent. Et de statu ingenuitatis.*
5. *De compositionibus quo ad palatium pertinent.*
6. *De monasteriis & xenodochiis regalibus.*
7. *De rebus forstatis.*
8. *De co cuius res in eleemosyna datae sunt.*
9. *De jure filia in res servorum quos pater fecit liberos.*
10. *De aueritate legum & consuetudinum.*
11. *De potestate vendendi & domandi in famina.*
12. *De mancipiis palatij & Ecclesiarum.*
13. *De liberis hominibus ad servitiae operae non cogendis.*
14. *De rebus quo Hildegarde Reginæ tradidit fuerunt.*
15. *De alcionibus palatij.*
16. *De fugitiis.*
17. *De fagiis & epistolis, & de portarib[us] custodiendis.*

### INCIPIVNT SVPRASCRIBTA CAPITVL A ET EORVM TEXTVS.

#### *De xenodochiis.*

Lib. 3. leg.  
Longeb.  
tit. 1. c. 18.  
**I.** Primo capitulo de xenodochiis iussit ut quicunque xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint & consilium facere quomodo ab antea fuit, habeant ipsa xenodochia, & regant Tom. I.

ordinabiliter. Et si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per tales homines in ante sine gubernata cum consilio Episcopi qualiter Deo & nobis exinde placeat.

#### *De Ecclesiis baptis malibus.*

II. De Ecclesiis baptis malibus, ut nullatenus eas laici homines tenere debeant,

R

sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernata. Et neque ipsi pagenses negligentiam habeant de hoc quod ibidem facere debeant. Et illi sacerdotes eas sic regant quomodo ordo canonicus exposcit.

*De Advocatis sacerdotum.*

Ibid. tit. 47. c. 3. III. De Advocatis sacerdotum, volumus pro ecclesiastico honore & illorum reverentia ut Advocatos habeam.

*De diversis generationibus hominum qui in Italia commandant. Et de statu ingenuitatis.*

Ibid. tit. 46. c. 2. IV. De diversis generationibus hominum qui in Italia commandant, volumus ut ubicunque culpa contigerit unde faida crescere potest, propter eas fatigations hominis illius contra quem culpaverit, secundum ipsius legem cui negligentiam commisit emender. De statu vero ingenuitatis aut alius querelis unusquisque secundum suam legem semetipsum defendat.

*De compositionibus que ad palatum pertinent.*

Ibid. lib. 1. tit. 2. c. 10. V. De compositionibus que ad palatum pertinent, si Comites ipsas causas commoverint ad requirendum, illam tertiam partem ad eorum recipient opus, duas vero ad palatum. Et si per suam negligentiam remanferint, & Missus dominicus ipsas causas ceperit inquirere, tunc volumus ut ipse Comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad palatum veniat.

*De monasteriis & xenodochiis regalibus.*

Ibid. lib. 3. tit. 1. c. 10. VI. De monasteriis & xenodochiis que per diversos comitatus esse videntur, ut regalia sint, & quicunque ea habere volunt, per beneficium Domini Regis habeat.

*De rebus forfictis.*

Ibid. tit. 35. VII. De rebus forfictis per diversos comitatus, volumus ut ad palatum pertineant.

*De eo ejus res in elemosyna date sunt.*

Ibid. lib. 2. tit. 12. c. 6. VIII. Si cujuscunq; res in elemosyna date sunt, & ipse mortuus fuerit ante quam eas disperfer, tunc Missus dominicus una cum Episcopo parochiae ipsius considerer qualiter in Domni Regis mercere ipsa elemosyna fiat facta, & infra triginta noctes impleta esse debeat.

*De jure filio in res servorum quos pater fecit liberos.*

IX. De filia cuius pater per manum ergatoris omnes servos suos iussit fieri liberos, quia contra legem esse videtur, instituimus quod ipsa filia in tertiam portionem de praefatis rebus iterum in servos suos introire possit.

*De auctoritate legum & consuetudinum.*

X. Placuit inferere ut ubi lex erit, preccellat consuetudini, & ut nulla consuetudo superponatur legi.

*De potestate vendendi & donandi in femina.*

XI. Placuit etiam nobis ut quaecunque femina potestatem haberet per commeatum viri sui res suas vendere, habeat potestatem & donare.

*De mancipiis palatiij & Ecclesiarum.*

XII. De mancipiis palatiij nostri & Ecclesiarum nostrarum nolumus mundum recipere, sed ipsa nostra mancipia habere.

*De liberis hominibus ad servilia opera non cogendis.*

XIII. Placuit nobis ut illes liberos homines Comites nostri ad eorum opus fervile non opprimant. Et quicunque hoc fecerit, secundum quod judicatum habemus emendet.

*De rebus que Hildegardæ Regine traditæ fuerunt.*

XIV. De rebus que Hildegardæ Regine traditæ fuerunt volumus ut fiant descriptæ breves, & ipsæ breves ad nos fiant adductæ.

*De alditionibus palatiij.*

XV. Non est nostra voluntas ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatiij nostri illos alditiones recipient.

*De fugitiis.*

XVI. De fugitiis qui in partibus Beneventi & Spoleti sive Romanie vel Pentapolii configuntur faciunt, ut reddantur, & sint reverti ad propria loca.

*De sigillis & epistolis, & de porturis custodiendis.*

XVII. Sicut consuetudo fuit sigilla & epistolas prendre vel porturas custodire, ita & nunc sit factum.

